

Idem infusum fuisse Christianorum corporibus, scriptores Ecclesiastici memorant. Plumbatæ quibus cæsi sunt, in eorundem libris notissimæ. Solēt medici vasis plumbeis ad quasdam pinguedines medullasq; conti-  
nendas vti. Philetas poëta Cous, so-  
leis plumbeis vsus in calceis est, ne à  
vento propter corporis exilitatem e-  
uerteretur. Plumbeis pugionibus di-  
micare dicuntur, qui pugnant inutili-  
ter: plumbco item gladio iugulare a-  
pud Ciceronem. Plumbeus homo  
nullius ingenij, apud Terentium. Iræ  
plumbeæ pro grauibus, apud Plautū.  
Austrum autem num ab effectu aëris,  
aut corporum, Horatius plumbœu vo-  
cet, ambigunt interpretes. Musici o-  
lim laminas plumbeas pectori impo-  
suerunt, ad cantica exclamanda, vt  
scribit Isidorus. Chartam plumbeā  
supinus pectore sustinuit Nero impe-  
rator, vt Suetonius, conseruandæ au-  
gendæq; vocis causa. Tali itidem la-